



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum Eucharistia sit sacramentum? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

426

Inf a 4.

Q 79.

a. 5. et 7.

et 4. d. 8.

q. 1. ar. 1.

q. 1.

e. 2. eccl.

hier. an

te m. 2. Q

cap. 4. in

prin.

† q. 65. a.

4. Q 90.

prat. a. 1.

q. 62. Q

65. ar. 1.

*Vtrum Eucharistia sit sacramentum?*

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod Eucharistia non sit sacramentum. Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta: quia vnumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum. Cum ergo ad perfectionem ordinetur & confirmatio & Eucharistia (vt dicit Dionys. 4<sup>a</sup> eccl. hier.) videtur Eucharistia non esse sacramentum, cum confirmatio sit sacramentum, vt prius habitum est f.

¶ 2 Præterea, in quolibet sacramento nouæ legis id quod visibiliter subijcitur sensui, efficit inuisibilem effectum sacramenti: sicut ablutio aquæ, causat & characterem baptismalem, & abluionem spiritualem: sicut supra dictum est \*. Sed species panis & vini, quæ subijciuntur sensui in hoc sacramento, non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod est res & sacramentum; neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia. Ergo videtur, quod Eucharistia non sit sacramentum nouæ legis.

¶ 3 Præterea, Sacramenta nouæ legis habentia materiam, in vsu materiæ perficiuntur: sicut baptismus in ablutione, & confirmatio in chrismaticis confectione. Si ergo eucharistia sit sacramentum, perficeretur in vsu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ. Quod patet esse falsum: quia forma huius sacramenti, sunt verba, quæ in consecratione materiæ dicuntur: vt infra patebit \*. Ergo eucharistia non est sacramentum.

q. 78. a. 1

**S**ED contra est, quod in in collecta dicitur, Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.

**R**ESPONDEO dicendum, quod sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subueniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis, vitæ corporali conformatur: eo quod corporalia, spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem, quod sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quâ homo vitâ accipit; & augmentû, quo homo per-

duci-



ducitur ad perfectionem vitæ : ita etiam requiritur alimentum , quo homo conseruatur in vita . Et ided sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum , qui est spiritualis generatio ; & confirmationem , quæ est spirituale augmentum : ita oportuit esse sacramentum eucharistiæ , quod est spirituale alimentum .

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est perfectio. Vna quæ est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum: & talis perfectio competit confirmationi. Alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex adiunctione alicuius extrinseci, hominem conseruantis; puta ex adiunctione cibi, vel indumenti, vel alicuius huiusmodi: & talis perfectio competit eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio .

Ad secundum dicendum, quod aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus sancti in aqua existentem. Vnde Chryl. \* dicit super illud Ioann. 5. *ho. 35. in*  
 Angelus Domini secundum tempus, &c. In baptiza- *Ioã inter*  
 tis non simpliciter aqua operatur: sed cum Spiritus *princ. &*  
 sancti susceperit gratiam, tunc omnia soluit peccata. *med. 20. 3*  
 Sicut autem se habet virtus Spiritus sancti ad aquam baptismi: ita se habet corpus Christi verum ad species panis & vini. Vnde species panis & vini non efficiunt aliquid nisi virtute corporis Christi veri .

Ad tertium dicendum, quod sacramentum dicitur ex eo, quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet absolute, & in ordine ad aliud .

Hæc autem est differentia inter eucharistiã, & alia sacramenta habentia materiam sensibilem: quod eucharistiã continet aliquid sacrum absolute, scilicet ipsum Christum; aqua verò baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandam: & eadem ratio est de chrismate & similibus. Et ided sacramentum eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materia: alia verò sacra-



